



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 18. Obedientia est cæca, non discutit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

§. XVI.

*Obedientia requirit humilitatem.**Ex Veteri.*

*N*unquid mittes fulgura, & ibunt; & revertentia dicent tibi, adsumus. Job 38. 35. Coniuncta cum Deo voluntatis homines fulgura illa sunt. Fulgura, & fulmen, ignes subtilissimi, naturam petunt sublime. At, quia Deus deorsum illa mittit, suam naturam oblita, incredibili celeritate ad ima ruunt. Drexelius opusc. 11. Heliotrop. l. 2. c. 4. §. 3.

In uno oculo tuorum, & in uno crine colli tui. Cant. 4. 9. Oculum fidem, capillum humilitatem designat; quibus potentis Dei Filio Virgo maxime complacuit, illumque uno capillo colli sui, licet fortissimum, & potentissimum, fortiter alligavit. S. Thom. Vill. l. de S. Stephano.

Anima mea liquefacta est. Cant. 5. 6. Gilbertus l. 44. in Cant. magna in liquefactis ad sequendum mobilitas, & prompta voluntas. Intelligitis jam, ut arbitror, in liquefactis ad obediendum aptitudinem grandem, humilis animae affectum tractabilem.

Ex Novo.

Non sicut ego volo; sed sicut tu. Matth. 26. 39. Hac est vox verae humilitatis, quae semper humanae voluntati praeposit divinarum; & in hoc ab humanis in divina dirigitur. Nec hoc solum; sed etiam alterius hominis, non solum maioris, vel parvis; sed etiam inferioris voluntatem suam proponit. Contrario vox superbiae est: non sicut tu, sed sicut ego; cuius proprium est, suam praepone voluntatem &c. Richard. à S. Vict. l. in die Pascha.

Invenit illum in templo sedentem in medio Doctorum. Luc. 2. 46. S. Ambros. in 1. Corinth. 14. 30. hac traditio Synagoga est, ut sedentes disputarent, seniores dignitate in cathedris, sequentes in subselliis, novissimi in pavimento super mattas. Ad pedes scilicet Magistrorum. Hinc Christus puer, cum nec ex Doctoribus esset, nec ex aliis inferioribus, pro sua humilitate humi super stercem, seu matram, sedit; licet in medio Doctorum sedisse dicatur, qui sedet super Cherubin. Bernardus hic t. 1. l. 10. c. 14. D. 1. Epiph.

Descendit cum eis & venit Nazareth, & erat subditus illis. Luc. 2. 15. Descensus est in obedientia: nam, nisi animus ad ima descendat, omnino reluctabit obediens. Hic descensus ab arce mentis fit, ab omni altitudine cordis, ab omni proposito contradictionis, & ab omni reputatione propriae cognitionis. Usquequo erit descensus? Nazareth est terminus &c. Simon Cas. l. 4. c. 1. v. 51.

Inclinatò capite tradidit spiritum. Joan. 19. 30. Caput inclinavit in morte, in expiationem erectionis ad vitam: simulque suavitatem obedientiam, reverentiam docuit, humilitatem

in operibus usquequaque monstravit; cum, omni peractò mysteriò, inclinatò capite expravit. S. Bernardinus p. 2. f. 55.

Ex Patribus, & aliis.

Tantò quisque in obedientia fit perfectior, quantò apud se fuerit vilior. S. Laurent. Just. de obed. c. 4.

Humilitatis filiae sunt, sui ipsius perpetua accusatio, propriae voluntatis odium, confusio sui, ac sensus, abominatio. S. Dorotheus de renunt. doct. 1.

Humilitas est maxime obedientis; praecipientis verò fontalis est charitas. Sim. Cas. l. 4. c. 1.

Nulla creaturarum est magis aqua obediens. Quò libuerit homini, ascendit; quò vult, descendit; ducentes sequitur, in canalibus dividitur, aliorum inflectitur, reflectitur. Doultreman de amore l. 1. c. 1. sect. 8.

§. XVII.

Superbus non obedit.

Eritis sicut dii, scientes bonum, & malum. Gen. 3. 5. Primum Evae, & Adae, communiore Patrum sententia, peccatum fuit superbia in eo sita; quò appetierint scire bonum, & malum: ut scilicet per seipsos, ac virtute ingenii sui, possent in omnibus dirigere seipsos, discurrendo, & eligendo, quò bonum est; atque cavendo, quò malum est; nec indigerent à Deo quidem dirigi: Ex qua superbia mox secuta impatentia, & indignatio animi indignatis, se hoc praepcepto constringi; curiositas, gula, infidelitas non credendo minis Dei. Cornelius hic.

Hac insuper virtute maxime Luciferi, ac Protoplasti peccatum compensamus, quò superbiae vitium, propriae voluntatis fuit. Nec Angelorum aliud est opus, nisi Deo obtemperare. S. Basilus Instit. vitae Religiosor.

Importabile onus est obedientia superbi, & humili voluntas propria. S. Laurent. Just. tr. de compunct. &c.

Superbus similis argento vivo; quò est tanta virtutis; ut si super sextarium argenti videntur saxa superponas, statim resiliat: sic superbis nihil sibi grave vult sustinere. Gemiani l. 2. c. 35.

§. XVIII.

Obedientia est caeca non discutit.

Num. 1.

Exempla.

Egredere de terra tua. Gen. 12. 1. E patria egreditur Abraham Deo iubente; & quò pergere deberet, ignorat. Hebr. *nesciens, quò iret*, Nec taman moras nequit, aut difficultates

B b 2 obi-

objicit. S. Gregor. l. 2. in 1. Reg. nescit judicare, qui perfecte didicit obedire. Alvarez in Gen. Illustr. 50. v. 13.

Tolle filium tuum unigenitum &c. Gen. 22. 2. Accipe filium tuum dilectum. Vide, quomodo per verba ista majus incendium succendit; & fornacem amoris, quò justus in Isaac affectus erat, violentius excitat: accipe filium &c. Unum quodque verbum per se sufficeret ad lauciandam animam justii. Quid igitur justus? non turbatus est animò, non confusus est mente, non ratiocinabatur secum: Cur hoc? qui paulò antè dixit: in isto vocabitur tibi semen, nunc diversa præcipit. Et quomodo implebuntur, quæ sunt ab eo promissa? Quò pacto enim fieri potest, ut radice exsectâ rami pullulent? vel succisâ arbore fructus proveniant? Horum nihil cogitabat justus ille: sed, sicut gratus famulus, omisâ omni ratione humana, unam tantum rem curabat, ut imperata opere impleret. Et quasi factus ab humana natura alienus, & postponendum ducens divinis præceptis omnem affectionem, & dilectionem; ad implenda iussa festinavit. S. Chrylost. hom. 47. in Gen.

Ubi est victima holocausti? Gen. 22. 7. Sed curiosum puerum pater refellit ea voce: *Deus providebit sibi victimam.* Quò responsò nil ultra puer disputat. S. Chrylost. hom. 3. in 2. Corinth. c. 1. Simulatque audivit *Deum*, nihil postea locutus est; nec amplius erat curiosus: adeò sapiens erat puer. Verè magna sapientia, cœcè obedire. Velloso in Judith. 5. Parèn. 18.

Veni, mittam te ad eos. Gen. 37. 13. Quàm promptè Joseph obediens! *præsto sum*; nec fratrum supercilium, nec viæ difficultas, puerum deterret. Alvarez in Gen. hic Illustr. 50. v. 13.

Et accurrat ad Heli, & dixit: ecce ego; vocasti enim me. 1. Reg. 3. 5. Magna laus est, non curare sui Prælati facta, sed iussa; nec attendere, quam vitam agat, sed quam personam gerat. Mendoza in 1. Reg. 3. annot. 1. sect. 1.

Vade ad mare, & mitte hamum. Matth. 17. 26. S. Chrylost. hanc Petri obedientiam fidei honorat titulò apud S. Thomam admirare Petri fidem, quoniam rei tam difficili obediit; ideoque de fide eum remunerans, copulavit eum sibi in tributi datione; quod fuit abundantis honoris. Naxera in Jos. 13. §. 12.

Num. 2.

Obedientiæ cœcæ motiva.

Ex Veteri.

Aperientur oculi vestri. Gen. 3. 5. Nul- lum non lapidem movet diabolus, ut religiosam vitam impugnet, & obedientiam, quâ nihil sublimius, si minus abolere, certè imperfectam reddat. Quò enim obedientia minus habet oculorum, eò generosior, & illustrior, habetur. Fernandus hic sect. 10. Homo positus sub præcepto audivit à Do-

mino Deo: noli tangere. Quid? hanc arborē. Quid est enim illa arbor? si bona, quare non tango: si mala, quid facit in paradiso? prorsus ideo est in paradiso, quia bona est; sed nolo tangas. Quare non tango? quia obedientem te volo, non contradicentem servum. Bona est arbor; nolo tangas, quia Dominus sum; & servus es: hæc tora causa est. S. August. conc. 2. in Pl. 70.

Venerunt ad eum etiam, omnes filii Israël quibus præcepit cuncta, quæ audierat à Domino in monte Sinai: impletisq; sermonibus posuit velamen super faciem suam. Ex. 34. 32. &c. Scilicet velum appendit, ut oculos populus non aspiceret; sed auris verba captaret. Obedientiæ fors esset imminutio præcipientis fulgor: præceptis namque nec lumen vultus servire, nec dextræ lepra debebat nocere. Dum Dei nomine loqui constat, esset supervacanea leprosa dextere, aut splendoris, discussio; quia solum requirebatur auditio. Naxera in Jos. 13. §. 12. Adde: obedientiam tunc plenius resplendescere, cum fidei quodammodo sibi mutatur naturam; utque exoculata præstet obsequium, captivat prorsus judicium Id. ib.

In auditu auris obediit mihi. Pl. 17. 45. Perfectè obediens, ubi vox mandantis insonuit, nihil cunctatur, nil dubitat, aut scrutatur ratione, quare mandatum? sed mox manus mittit ad opus. S. Laur. Inslit. l. de ligno vitæ c. 2. sunt multi, qui, post præcipientis imperium, plures faciunt quaestiones; & sæpe ingeminant, unde hoc venerit? quis hoc dederit consilium? Propter quod oritur murmuratio, excusatio, simulatio, impossibilitas, advocatio emicorum: contra quos per prophetam loquitur Dominus: *in auditu auris obediit mihi*: ut ostenderet, unò, eodemque momentò, obediens simplicem, & audisse præcipientis imperium, & obsequium perfecisse. Sylveira in Act. 10. 7.

Lucerna pedibus meis verbum tuum. Pl. 118. 105. Vide, ubi lucerna præfertur; non oculis, sed pedibus: ut oculi solum videant, quò pedes ex obedientiæ præscripto diriguntur. Verus obediens pro oculis lucernæ lumen; pro incelligentia, & judicio, solam sibi assumit jubentis vocem. Utinam hæc sancta cœcitas in Adam, & Evâ, fuisset illi, & nos viveremus. Fernandus in Gen. 3. 5. Sect. 10.

Duabus velabant faciem ejus, & duabus volabant. Il. 6. 2. Quòd volant, celeritas est in obediendo: quòd alis oculos obtegunt, cœcitas est obtemperantium; qui nihil omnino vident, nil disquirunt, nil judicant, de re imperatâ. Velloso in Judith 5. Parèn. 18. Apparente Seraphim, thronum Dei cingunt, paratos se ostendunt jubenti ad parendum: toti enim sunt alati; imò & alas explicant ad volatum. Faciem tamen pennis obvolvunt: ut scilicet sinè oculis nec iussa discernant, nec interpretentur; sed jubentis vocem audientes, velut exoculati, ferantur impetu ad volandum. Fernandus in Gen. 3. 5. Sect. 10. Seraphim

h3

hi sunt Schema religiosæ, & perfectæ obedientiæ, hæc enim, quasi velatis oculis, cæca præceptum non discutit; est tota alata, prompte exequendo iussa. Cornelius in l. 6. 2.

Ex Novo, Patribus & aliis.

Turbati sunt, dicentes, quia phantasma est. Matth. 14. 26. S. Chrysol. hom. 51. in Matth. putaverunt esse phantasma, cum visum ipsum non cognovissent; partim propter noctis tenebras, partim quia nunquam auditum fuit, hominem super aquas ambulasse. q. d. sapius viderunt Christum D. alia miracula patrare, demonia pellere &c. nec tamen unquam eum phantasma putarunt. Referunt hic Apostoli plerosque subditos: qui, si viderint aliquid præcipi, aut fieri à Prælati novum, cujus rationem non assequuntur; eum esse phantasma, non verum superiorem, musitant, reprehendunt; cum tamen in iis verus Christus præcipiat, & operetur. Pinna in Eccl. 8. Ethol. 104.

Accersit Simonem quendam hic hospitat apud Simonem quendam coriarium - hic dicit tibi &c. Act. 10. 5. Vides, ut nihil magnum enuntiet de Petro? non ait, esse petram Ecclesiæ, habere claves regni cælorum, Dei locum in terris tenere &c. sed planè significat esse idem. *Accersit*, inquit, non accede ut ad principem quendam. Quid Cornelius? speravit hominem? imò ut Prælatum observavit: *vocavit duos domesticos suos &c.* v. 7. Mendoza in 1. Reg. 3. 9. Annot. 1. Sect. 1. Perfectus obediens commendatione prælati non eget. Id. ib. initio.

Vera obedientia, nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit: quia qui omne vitæ suæ iudicium majori subdidit, in hoc solo gaudet; si, quod sibi præcipitur, operatur: nescit enim iudicare, quisquis perfectè didicerit obedire. S. Gregor. l. 1. in 1. Reg. c. 3.

Quemadmodum pueri, cum primum literas formare discunt; in præceptorem intenzi sunt; ad quod calamus accommodarunt, libentè, atque obedienti animò notas excipientes: eodem modo, eos quoque, qui ad res divinas perdiscendas se conferunt, earum magistros sequi, atque puerilem simplicitatem, & indubitatum assensum, habere oportet. Isidorus Pélus. ep. 400.

Sapiens nummularius est, imò ipsa sapientia; cui necesse habemus reddere hunc obedientiæ nummum: nec suscipiet eum, nisi & integer inveniat, & sinè aliquâ falsitate. Nam, si discutimus, si dijudicamus; & in hoc quidem præcepto non obediimus, sed in illo, factus est nummus: non suscipit eum Christus, à quo nimirum tenemur nummi integri debitores. S. Bernardus l. 2. in festo S. Andrea.

Obedientia est, nunquam sibi; nè in his quidem, quæ videntur optima, usque ad consummationem vitæ credere. Joan. Clim. gr. 4. de obed.

Species contumaciæ est, de modo mandati inquirere, hæsitare, discernere, aut differre. In con-

tractu enim obedientiæ non habet disputatio, aut disceptatio, locum. Nam si in discussione, seu suspitionem, ea, quæ sunt tibi mandata, deduxeris; ad lignum scientiæ boni, & mali, manum prævaricationis extendis. Petrus Bles. ep. ad Priorem de Monasteriolo.

Quisquis circa obedientiam ambigit, aut distinguit; lignum scientiæ boni, & mali, in suam perniciem gustare præsumit. Id. ep. 109.

§. XIX.

Obedientia est prompta; non excusat, non replicat.

Ex Veteri.

igitur Abraham de nocte consurgens &c.

Gen. 22. 3. Abraham tam celeriter decrevit iussis cælestibus esse parendum; quam fuerat divinitus imperatum. Verebatur, nè votum mora offenderet, aut iussionem tarditas impediret. Fuit lætus, cum eum (Isaac) acciperet; lætior, cum immolandum eum postularet. S. Chrysol. S. de fide Abraham. Non contristat frontem devotissimus Abraham; nec dolor patri lacrymas persuasit; sed exultat, & gaudet. Nec timuit, nè parricidium ei imputaretur; sed magis, ut devotioni pareret: lætatur hoc iussisse Deum. S. Zeno Veron. l. 1. de Abrah. O qui servum Domini ita se esse memineral, ut patrem se esse nesciret. Quid est pater? ecce sub oculis jacet filius vinculis astrictus. Ubi sunt lacrymæ? ubi dolor, qui in humanis sensibus versari consuevit? In tantis filii casibus lætatur, & gaudet; & se Dominum promeruisse, triumphat. à filio ad agnum transtulit dexteram, semper lætatus, & gaudens. Id. ib. Charissimi membra, quæ osculis premere consueverat, armatus gladiò jubetur occidere. Idem. ibid.

Abraham, Abraham, - non extendas manum &c. Gen. 22. 11. 12. Obedientia perfectior, quæ ad jucunda cunctantior, ad aspera celerior. *Tolle filium tuum &c.* non exhorruit præceptum, obsequium gemitibus non fœdavit; sed lætatur, hoc iussisse Deum. Angelus multiplicat præcepta: *non extendas manum tuam, neque facias illi quidquam.* Si unica præceptio, tolle filium tuum, satis fuit ad sacrificium parandum, quid non sufficiat ad innocentem solvendum? O eximiam obedientiam! semel imperat mactationem, bis inclinat libertatem: ad aspera frangit, ad dulcia calcari egerit. Naxera in Jos. 22. §. 3.

Revertere, & dormi. 1. Reg. 3. 5. Samuel singulariter obediens fuit: quia minore vi eguit, ut extraheretur è lecto; quam ut ad lectum reduceretur. Nam, ut extraheretur, satis fuit nominari Samuel sinè præcepto veni. At verò, ut reduceretur, imperio opus fuit, *revertere*: quò enim promptior erat ad laborem, quam quietem; eò minore vi ad laborem subeundum, quam ad quietem repetendam, egebat. Optimus Abrahæ imitator: quem ut Deus ad immolandum filium excitaret, etiam dormientem, nullis clamoribus usus est; sed placidâ voce dixit ad eum: *Abraham, Abraham.*